



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XLIII. Differentia 16. In contractibus innominatis Iure Canonico non habet
locum pœnitentia,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 16.

In contractibus innominatis iure Canonico non habet locum penitentia.

Gloss. in c. Cum inter, de elec. At iure civili secus est: l. Si pecuniam, ff. de condi. cau. a dar. loan.

Bapt. à S Blasio 48.

I. Glossa allegata in c. Cum inter, in v. Ex consensu compositionis, post aliquantam discussionem, an uno resiliente alius à pacto liberetur, concludit. Ubi compositio intercedit, & purè quis renunciat juri suo, postea non auditur, loco penitentiae sublato, ut hic, & intra remissionem c. In presentia, cujus rubrica est. Qui sponte renunciavit electioni de se factæ, super ipsa ulterius audiri non debet: & remittentibus actiones suas non est dandus regressus ad eas, ff. de adl. edict. l. Quaritur, §. Si venditor. Hujus decisionis fundamentum videtur positum esse in c. 1. & 3. de pact. ubi univèrsè præcipitur, ut pacta quæcunque etiam nuda suam obtineant firmitatem. Id enim conscientiae lex, & fidei liberanda necessitas exigere videtur. Grave est fidem fallere, & promissa non adimplere. V. dicta superius in differ. XXVIII. Alciat. in tit. de transact. n. 27. Covarr. de sponsal. par. 2. c. 3. §. 4. & l. 1. Var. c. 14. n. 15. Gutier. de matrim. c. 5. n. 9. Hippol. singul. 42. Turrian. disp. 55. dub. 3. Less. c. 18. dub. 7. n. 55. Laym. l. 3. Tract. 4. c. 12. Palco de iust. comm. disp. 2. Pun. 8. n. 4 & 5. Card. Lugo disp. 22. sect. 5. n. 58. & seq.

II. Multùm diversa legum intentio est, & populari arbitrio mitior. Nam in l. Si pecuniam cit. in contractu innominato, do, ut facias, eum, qui dedit, poenitere posse asseritur, & repetere, quod dedit. Unde Gottofr. In contractibus innominatis datū condicimus, vel ex poenitentia, vel si causa non sit secuta. Imò etiam te non integra is qui adimplevit contractum pro sua parte, antequam alter impleat, poenitere potest, puta, si dedi tibi aureos 100. ut Romam, aut Compostellam ires, poenitere possum, & repetere pecuniam, quam dedi, priusquam tu iter inchoaveris, soluto tamen interesse. Schneidevvin. l. 3. Institut. tit. 14. §. Quotuplex est contractus, n. 13. Wesenbec. l. 12. ff. tit. 4. n. 4. Dynus in Reg. Quod semel placuit, n. 11. de R. I. in 6.

Idem jus in contractibus nominatis locum non habet, nec in illis admittitur poenitudo, l. 3. ff. de res. ind. vend.

l. 6. c. de actione empti. Tholos.

l. 25. c. 23. Gomez. l.

2. c. 8. n. 3.

**

G 3 TITV-